

Documenta

Circaria Bohemiae, abbas Praemonstratensis et capitulum generale 1142-1541

24

[1319 oct. 9.-11. Prémontré.]

Adam abbas Praemonstratensis et capitulum generale Fridericum abbatem Steinveldensem et Gerhardum abbatem Strahoviensem visitatores annuos circariae Bohemiae et Moraviae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1319 dec. 22. datas (Copia anni 1799 in ms. sign. DL III 18 fol. 65^{rv} bibliothecae Strahoviensis): «Gerhardus¹⁾ dei paciencia abbas ecclesie Montis Syon...auctoritate domini Premonstratensis abbatis²⁾ et generalis capituli in Lucensis³⁾ monasterii capitulo visitantibus nobis...» et alias litteras 1320 apr. 5. datas (CDM VI, num. 158, p. 123-124, RBM III, num. 572, p. 238): «...Fridericus⁴⁾ dei paciencia Steynveldensis circator annuus per Bohemiam et Moraviam in plenitudine potestatis, G[erhardus]⁵⁾ eadem paciencia Montis Syon assessor, ecclesiarum abbates...».

¹⁾ Gerhardus abbas Strahoviensis 1316-1329.

²⁾ Cf. notam 2 num. 23.

³⁾ Louka.

⁴⁾ Cf. notam 1 num. 23.

⁵⁾ Cf. notam 1 hic superius.

25

[1323 oct. 9.-11. Prémontré.]

Adam¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Fridericum Steinveldensem et Gerhardum Strahoviensem abbates visitatores annuos circariae Bohemiae et Moraviae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1324 febr. 14. datas (RBM III, n.958): «...Fridericus²⁾ Steinveldensis, Gerhardus³⁾ Montis Sion ecclesiarum abbates et annui visitatores...». Vide etiam Acta Plagensium per annales decursus distincta (auctore Francisco Freisleben), ms. chart. annorum 1645-1649 in archivo abbatis Plagensis in Austria Superiore sign. Ms. 16, fol. 28^{rv}: «Annus D[omini] 1324,

Udalrici⁴⁾ 20^{us}. Hoc anno ex mandato Steinfeldensis et Montis Syon abbatum ecclesiam nostram [= *Plagensen*] visitavit Tilmannus quidam praepositus ex Tuss [!]⁵⁾ et (ut visitationis litterae quas iam obsoletas reperi loquuntur) invenit ibi fratres unione pacis fruentes nihilque quod foret ex ordine corrigendum, ipso monasterio usque ad nova rudera forte aedificato. Ergo manifestum est monasterium vel igne vel alia publica iniuria circa haec tempora concidisse. Tunc enim sumptus esse factos, ut dissolutum noviter restauraretur, ex litteris visitationis claro colligitur».

¹⁾ Cf. notam 2 num. 23.

²⁾ Cf. notam 1 num. 23.

³⁾ Cf. notam 1 num. 24.

⁴⁾ Udalricus praepositus *Plagensis* 1305-1338.

⁵⁾ Tuss sine ullo dubio sic per annalistam *Freisleben* copiatum nihil aliud est ac Russ legendum, ergo Nová Říše monasterium virginum in Moravia, cuius praepositus Tilmannus tantum hic unica et sola vice occurrit sicut «zelator praelatus», cf. litteras num. 55 et vocem «zelator» in indice.

26

1327 [oct. 9.-11.] Prémontré.

Adam abbas *Praemonstratensis* et capitulum generale universis, qui praeposito et conventui *Plagensi* in construendo monasterio manum porrexerint adiutricem, plenam participationem omnium honorum spiritualium in universo ordine *Praemonstratensi* concedunt.

Or. perg. sign. Urk. 103 in archivo abbatae *Plagensis* in Austria Superiore. Litteris quondam in filis canapis octo sigilla appendebant, quorum hodie secundum deest. Circumscriptiones omnium sigillorum iam valde attritae sunt, ita ut vix legi possint. 1.6 × 4 cm, abbas sedens cum pedo: SIGILLUM ABBATIS PREMONSTRATENSIS, 2. deest, 3.6 × 4 cm, abbas stans cum pedo in arcatura styli gothici, infima tertia pars sigilli deest: S. ABBATIS ECCL, 4.4 × 2.5 cm, abbas stans cum pedo: S. ABBATIS SCTI IO[HANNIS?], 5.6 × 4 cm, abbas stans cum pedo, superior et inferior pars deest: [S.] ABBATI[S]PLE[], 6.4 × 3 cm, Crucifixio cum Maria et Joanne: S. ABBATIS BUCIL (vel CAPELL[ENSIS]?) 7.5 × 3.5 cm. abbas stans cum pedo, arcatura styli gothici: S. ABBATIS EC[CLI]E PA[RCENSIS?], 8.5 × 2.5 cm, in parte superiori Maria cum lilia et Jesu infante, in parte inferiori sanctus cum libro in manu dextra et ignota re in manu sinistra, circumscriptio forsan sic legenda est: [SIGILLUM PREPOSI]TI DE [DOCHIN]ZAN [?] Sigillum hoc est valde laesum.

Universis presentes litteras inspecturis et in Christo fidelibus Adam¹⁾ dei paciencia *Premonstratensis* abbas et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale salutem et oracionum munus in Christo. Quoniam ut ait apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi meritum recepturi prout gesserimus in corpore sive bonum sive malum²⁾. Et qui parce seminat

parce metet et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam³⁾). Hinc est quod universitatem vestram scire volumus per presentes quod prepositus⁴⁾ et conventus celle sancte Marie in Plaga⁵⁾ nostri ordinis, Pataviensis⁶⁾ dyocesis magnis cum defectibus ceperunt ad laudem gloriose virginis Marie monasterium construere opere sumptuoso et cum ipsis ad hec perficienda non suppetant proprie facultates nisi Christi fidelium adiutorio sublevantur omnibus, qui eis de bonis sibi a deo collatis manum porrexerint adiutricem plenam participationem oracionum, missarum, vigiliarum et psalteriorum et omnium bonorum aliorum spiritualium que fuerint et de cetero in universo nostro ordine fient benigna concedimus in domino karitate. Recolligentes eciam omnes et singulos benefactores dicte ecclesie in tribus missis una videlicet de spiritu sancto, secunda de beata virgine et tertia pro peccatis celebrandis annuatim a quolibet nostri ordinis sacerdote cum totidem psalteriis dicendis similiter a qualibet nostri ordinis moniali et ab hiis qui non fuerint sacerdotes necnon cum quingentis pater noster dicendis a quolibet converso ordinis ut ipsi eundem fructum a deo percipiant quem et nos ab ipso nobis retribui prestolamur. Datum Premonstrati anno domini millesimo CCCC XX septimo sedente nostro capitulo generali.

¹⁾ Cf. notam 2 num. 23.

²⁾ Cf. Rom. 14,10: «Omnes enim stabimus ante tribunal Christi» et Cor. II, 5,10: «Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum».

³⁾ Cf. Cor. II, 9,6: «Qui parce seminat parce et metet et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet».

⁴⁾ Cf. notam 4 num. 25.

⁵⁾ Schlägl (germ.), Plaga (lat.) in Austria Superiore.

⁶⁾ Passau in Bavaria, in Re publica foederali Germanica.

[1335 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulam generale Marsilium Steinfeldensem et Mracotam Milocensem abbates visitatores annuos circariae Bohemiae et Moraviae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1336 mart. 27. datas (Joester, Urkundenbuch num. 261, p. 201-202): «Nos Mars.¹⁾ dei patientia abbas Steinueldensis et pater abbas ecclesie Montis Syon²⁾ visitator annuus per circariam Boemie et Moravie auctoritate domini Premonstratensis³⁾ et generalis capituli in plenitudine pote-

statis...assumptis...Milocensis⁴⁾ nostro convisitato et Lucensis⁵⁾ ecclesiarum abbatibus...».

¹⁾ Marsilius 1334-1356.

²⁾ Cf. notam 4 num. 8.

³⁾ Joannes de Chatillon 1333-1339.

⁴⁾ Mracota 1327-1355.

⁵⁾ Joannes IV. Lupus 1326-1344, postea episcopus Litomyslensis.

28

[1337 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale post depositionem Theodorici abbatis Petrum abbatem provident et monasterio Strahoviensi eum praeficiunt.

Litterae deperditae, cf. litteras Benedicti papae XII datas Avinione 1339 oct. 1. (CDM VII, num. 254, p. 184-185): «...pro parte dilecti filii Petri¹⁾ de Baurowicz canonici monasterii Gradicensis Premonstratensis ordinis plebani plebis de Alba Ecclesia...proposito in consistorio publico coram nobis, quod olim vacante monasterio Montis Syon²⁾...per privacionem Theodorici³⁾ quondam abbatis ...dilectus filius...abbas⁴⁾ monasterii Premonstratensis Laudunensis diocesis totumque generale capitulum ordinis antedicti ex iure ad dictos abbatem Premonstratensem et capitulum devoluto de persona eiusdem Petri eidem monasterio Montis Syon duxerunt providendum ipsumque eidem monasterio prefecerunt in abbatem...». Non obstante hoc facto elegit conventus Montis Syon Hildgerum⁵⁾ canonicum eiusdem monasterii et cellerarium die 30. oct. 1337 in abbatem (cfr. Joester, num. 264 ad 8. nov. 1337). Ergo depositio abbatis Theodorici (ultima vice occurrit 1336 mart. 27., Joester num. 261) et subsequens provisio Petri ad dignitatem abbatialem pertinet in tempus celebrationis ultimi capituli generalis, id est 1337 oct. 9.-11.

¹⁾ Petrus II. Vojslai de Bavorovice, professus monasterii Gradicensis in Moravia et plebanus in Hranice in Moravia, lat. Alba Ecclesia, germ. Mährisch Weisskirchen, post depositionem Theodorici abbatis Strahoviensis ab abbate et capitulo generali anno 1337 in abbatem Strahoviensem provixus, anno demum 1342 a sede apostolica confirmatus. Ab anno 1337 abbatia in lite (cf. Joester, Urkundenbuch num. 264, MVB I, num. 57). Obiit 1358.

²⁾ Mons Syon = Strahov.

³⁾ Theodoricus IV. abbas Strahoviensis a papa Joanne XXII. provixus abbas anno 1330, depositus anno 1337 (MVB I, n. 57, RBM IV, n. 741, Joester num. 261 et 264).

⁴⁾ Cf. notam 2 num. 27.

⁵⁾ Hildgerus cellerarius Strahoviensis, electus 30. oct. 1337 abbas Strahoviensis. Quando cesserit ignoratur.

[1341 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Stiborium abbatem Siloensem et Petrum praepositum Chotesoviensem visitatores annuos circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1342 maii 26. datas (RBM IV, n.1127; hic adducimus textum secundum Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 30^v-31^r ms. chart. anni 1621 bibliothecae monasterii Teplensis): «Nos Stiborius¹⁾ Siloensis, Petrus²⁾ Chotiessoviensis praelati, visitatores annui per circariam Boemiae, Moraviae et Austriae a domino Praemonstratensi³⁾ et venerabili capitulo constituti...».

¹⁾ Stiborius I. 1330-1346 abbas Siloensis.

²⁾ Petrus I. 1333-1353 praepositus Chotesoviensis.

³⁾ Joannes Le Petit de St. Quentin 1339-1352.

[1340 iul. 1. — 1347 maii 10. Prémontré?]

Joannes abbas Praemonstratensis consensum suum praebet Benedae abbati Teplensi quaedam bona et villas ad vitam personarum alienandi.

Litterae deperditae, cf. num. 31, ubi de speciali visitatione monasterii Teplensis die 10. maii 1347 facta sermo fit. Haec litterae ad nos tantum in copia chart. anni 1621 in ms. Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 33^v in bibliotheca monasterii Teplensis pervenerunt. Post «proponere curaverunt» legitur: «Nos tamen ex officio nostro inquisivimus et in inquisitione invenimus quaedam bona et villas fore alienatas ad vitam personarum. Super quibus dominus abbas¹⁾ Teplensis demonstravit litteras Praemonstratensis domini²⁾, patris abbatis³⁾ et visitorum⁴⁾, quod de licentia fecerit ipsorum et fecit id urgente necessitate et de consensu totius conventus...».

¹⁾ Beneda abbas Teplensis prima vice 1340 iul. 1. memoratur, ultima vice 1356, quo moritur die 11. aug. cf. Backmund, Mon. I, p. 385, Emler, Necrologium Doxanense p. 121 et Pfiffig, Obitorium canoniae Gerusanae, p. 144.

²⁾ Cf. notam 3 num. 29.

³⁾ I.e. abbas Strahoviensis, forsitan iam Petri II., a sede apostolica confirmati 1342 quamquam electi iam anno 1337.

⁴⁾ Quorum nomina ignoramus nescientes etiam quo anno consensum suum dederint.

[ante 1347 maii 10. Prémontré?]

Joannes abbas Praemonstratensis mandat Petro abbati Strahoviensi,

Mracotae abbati Milocensi et Petro praeposito Chotesoviensi specialem visitationem monasterii Teplensis ad petitionem fratrum Teplensium Laurentii dicti Puchelperger et Henrici Pragensis in lite ipsorum cum proprio abbate.

Litterae deperditae, cf. litteras 1347 sept. 2. datas, quae ad nos tantum in copia anni 1621 in libro ms. Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 33^{rv} bibliothecae monasterii Teplensis pervenerunt: «Anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo die decima mensis maii nos Petrus¹⁾ Montis Syon, Mrakota²⁾ Milocensis et Petrus³⁾ Chotiessoviensis monasteriorum praelati visitavimus ecclesiam Teplensem⁴⁾ de speciali mandato reverendi patris domini Ioannis⁵⁾ Praemonstratensis abbatis ad petitionem et instantiam fratrum Laurentii dicti Puchelperger⁶⁾ et Henrici Pragensis⁷⁾, ubi dicti fratres pluries per nos requisiti quidnam proponere vellent contra abbatem⁸⁾ suum nihil proponere curaverunt...». (Haec litterae desunt in editione RBM V).

¹⁾ Cf. notam 1 num. 28.

²⁾ Mracota abbas Milocensis 1327-1355.

³⁾ Cf. notam 2 num. 29.

⁴⁾ Teplá.

⁵⁾ Cf. notam 3 num. 29.

⁶⁾ Laurentius Puchelperger tantum hac vice occurrit. Forsan ex familia Joannis Puchelperger iudicis oppidi Teplensis, quo demortuo abbas Teplensis Beneda bona ipsius ad dictum monasterium devoluta relictæ eiusdem Joannis Puchelperger, Elisabethæ, 16. iun. 1346 donavit. Ex quo forsans fr. Laurentii cum abbate (cf. RBM IV, num. 1726, pag. 690) orta est.

⁷⁾ Henricus Pragensis etiam tantum hac vice occurrit.

⁸⁾ Beneda abbas Teplensis 1340-1356.

32

1348 [oct. 9.-11.] Prémontré.

Ioannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale separationem monasterii Doxanensis a monasterio Strahoviensi sub certis conditionibus revocant.

Copia chartacea anni 1670 in convoluto Documenta monasterii Strahov in archivo monasterii Strahoviensis (hodie in Archivo centrali status Pragae, sign. 74a) cum annotatione: «Praesentem copiam authentico extractui definitionum et decretorum capituli generalis in archiviis ecclesiae Steinfeldensis manu et signeto propriis attestor. Coloniae 15. martii 1670 Ioannes Luckenraht abbas Steinfeldensis vicarius generalis Westphaliae». Hanc copiam die 9. februarii 1692 vidimavi Henricus Dionysius Papius autoritate apostolica, caesarea regiaque notarius publicus iuratus.

Universis praesentes litteras inspecturis Ioannes¹⁾ permissione divina Praemonstratensis abbas et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale

salutem in domino sempiternam. Quamvis alias monasterium sanctimonialium in Doxan²⁾ erat unitum monasterio Montis Sion³⁾, tamen praedecessores nostri incipientes ordinem plantare ac etiam dilatare ordinaverunt et statuerunt, ut ipsum Doxanense monasterium a monasterio Montis Sion sit separatum. Nos eandem separationem revocamus sub conditionibus infrascriptis: Ordinamus, statuimus ac etiam declaramus, quod erunt bona ipsius monasterii Doxanensis separata et divisa ac essent praepositi canonice instituti praelati perpetui nisi forsan, quod absit, suis meritis exigentibus per ordinem ab officio deponantur. Item praepositus ibidem quicumque pro tempore fuerit, tenebitur visitare capitulum generale et solvere tallionem ordinis sibi impositam, sicut alii praelati circariae Bohemiae et facere oboedientiam domino Praemonstratensi ac capitulo generali. Item dictus abbas Montis Sion est et erit perpetuus pater abbas ecclesiae Doxanensis et ibidem moniales benedicet et velabit et visitabit in eadem ecclesia auctoritate paterna semel in anno et si opus fuerit ex causa rationabili pluries secundum ordinis instituta. Item dictus praepositus exhibebit abbati Montis Sion patri suo debitam reverentiam et recipiet ipsum tanquam patrem abbatem semel in anno, prout praemittitur et visitatores ordinis ad visitationem prout decet. Item ordinatum est quod religiosae personae videlicet fratres ibidem commorantes et sorores non saeculares officia in dicta ecclesia teneant, prout decebit, bona ipsius et honestatem ordinis fideliter conservando. Et quod praepositus sorores ibidem domino servientes sine quacunque personae acceptatione honeste teneat tractando eas benigne sub regulari disciplina in visceribus charitatis. Item fratres ecclesiae Montis Sion sacerdotes sex in numero consueto et non de alia ecclesia nisi de voluntate patris abbatis ad dictam ecclesiam Doxanensem per praedictum abbatem Montis Sion transmittentur, victum et amictum recepturi in dicta ecclesia Doxanensi. Item omnes ecclesiae pertinentes ad Doxanensem ecclesiam parochiales fratribus et canonicis Montis Sion conferantur, maxime ubi fratres manere consueverunt. Item dictus praepositus nulla bona immobilia alienabit in perpetuum seu ad tempus sine consensu patris abbatis. Quod si fecerit, poterit per ipsum patrem abbatem deponi et depositus nuntiari. In cuius rei testimonium sigillum nostri generalis capituli praesentibus litteris est appensum. Datum Praemonstrati anno domini millesimo trecentesimo quadragésimo octavo sedente nostro capitulo generali.

¹⁾ Cf. notam 3 num. 29.

²⁾ Doksany.

³⁾ Mons Sion vel Strahov.

1348 [oct. 9.-11.] Prémontré.

Joannes abbas Praemonstratensis abbati et conventui ecclesiae Gradicensis concedit, ut superpelliceis, biretis, almutiis etc. uti possint.

Copia chartacea de anno 1676 in libro manuscripto «Historica relatio de conditoribus primo arcis dein monasterii Gradicensis...continens abbatum...seriem cum gestis et actis eorundem aliisque memorabilibus, quae...usque ad nostra tempora acciderunt. Conscripta...a P. Michaelae Siebenaicher, Silesio Leovallense, dicti monasterii et ordinis canonico et presbytero anno 1676» in archivo regionali status Brunnensi (Brno in Bohemoslovacia), sign. E 55 Premonstráti Klášyerní Hradisko, ms. num. II. 1. 37., fol. 192a n.89.

Joannes¹⁾ permissione divina Praemonstratensis abbas dilectis sibi in Christo abbati²⁾ totique conventui ecclesiae Gradicensis nostri ordinis cum paternae dilectionis affectu salutem. Cum ecclesia vestra praedicta cathedrali ecclesiae Olomucensi³⁾ ratione confinitatis sit annexa et ut ob decorem ordinis et honestatem ecclesiae vestrae antedictae cum moderamine religionis vestris vicinis canonicis dictae ecclesiae Olomucensis conformari valeatis, vobis concedimus ex gratia speciali, quod vos et vestri successores possitis uti superpelliciis, byretis, almutiis⁴⁾ aliisque prout antedicti canonici vestri vicini solent incedere in divini servitii cultura, quia personae ordinis nostri nomine canonicali a sede apostolica sunt dotatae. Datum ex Praemonstratensi ecclesia anno domini 1348 sedente nostro capitulo generali.

⁴⁾ «dalmutiis» in copia.

¹⁾ Cf. notam 3 num. 29.

²⁾ Augustinus 1340-1342 vel Pribislaus 1350-1362.

³⁾ Olomouc, sedes episcopatus, ab anno 1777 archiepiscopatus in Moravia.

[1349-1350 ante apr. 15.]

Conventus monasterii Zabrdovicensis recurrit ad Joannem abbatem Praemonstratensem occasione intrusionis Hinkonis de Vlašim canonici monasterii Siloensis ad abbatiam Zabrdovicensem contra Hermannum¹⁾ de Benenberg per viam compromissi canonice electum. Quem Hincodem Petrus abbas Strahoviensis intrusit.

Litterae deperditae, cf. litteras Clementis papae VI 1350 apr. 15. datas (CDM VIII, num. 20, p. 14-15): «...licet dilectus filius...abbas²⁾ monasterii Premon-

stratensis Laudunensis dyocesis, ad quem conventus predictus [sc. *Zabrdovicensis*]³⁾ super hiis habuerunt recursum, eidem abbati⁴⁾ monasterii Strahoviensis^{a)} per suas dedisset literas in mandatis, ut in premissis de iusto et oportuno remedio provideret, ipse tamen abbas monasterii Strahoviensis^{a)} tamquam promotor et fautor eiusdem Hinkonis⁵⁾ intrusi super hiis providere in anime sue periculum nequiter recusavit...».

¹⁾ *Hermanus de Benenberg* professus monasterii *Zabrdovicensis* commemoratur tantum anno 1349 (CDM VII, num. 975) et anno 1350 (CDM VIII, num. 20). Ultima mentio ipsius fit anno 1363 (MVB III, num. 187), nescimus autem, num adhuc hoc anno vixerit.

²⁾ Cf. notam 3 num. 29.

³⁾ *Zábrdovice*.

⁴⁾ Cf. notam 1 num. 28.

⁵⁾ *Hinko de Vlašim*, can. mon. *Siloensis* in *Bohemia*, intrusus abbas *Zabrdovicensis* 1349-1362.

^{a)} «Strahomensis», in editione CDM VIII. num. 20, sine dubio per errorem editoris.

35

[1349 — ante 1350 apr. 15. *Prémontré*?]

Joannes abbas Praemonstratensis mandat Petro abbati Strahoviensi, ut occasione intrusionis Hinkonis de Vlašim canonici monasterii Siloensis in abbatiam Zabrdovicensem de iusto et oportuno remedio provideat.

Litterae deperditae, cf. litteras et notas proxime praecedentes.

36

1350 mart. 18. *Louňovice*.

Joannes abbas Praemonstratensis abbatibus Milocensi et Gradicensi mandat, ut veritatem de electione Hynconis in abbatem Siloensem inquirant.

Insertum in instrumento notariali, pergam., de dato 2. iulii 1350, quod in archivio monasterii Strahoviensis, vetus sign. A LXII 4, nunc vero in Archivo centrali status, Pragae, sign. Premonstráti Strahov c. 44, servatur.

Johannes¹⁾ permissione divina Premonstratensis abbas venerabilibus in Christo fratribus Mylocensis²⁾ et Gradicensis³⁾ ecclesiarum abbatibus salutem et sinceram in domino karitatem. Nobis graviter conquerendo monstravit venerabilis frater Hynco⁴⁾ olim prepositus in Lunyowicz⁵⁾ nostri Premonstratensis ordinis, quod cum nuper ecclesia Syloensis⁶⁾ fuisset pastoris sollacio destituta et per venerabilem fratrem abbatem Mylocensem a venerabili fratre nostro abbate Steinfeldensi⁷⁾ patre

abbate dicte ecclesie Syloensis deputatum ad eleccionem novi pastoris in dicta ecclesia celebrandam et ad hoc habens speciale mandatum, dictus frater Hynco per conventum dicte ecclesie per viam compromissi fuerit rite et canonice ac secundum formam ordinis nostri electus⁸⁾ in abbatem et pastorem ecclesie Syloensis supradicte et per predictum deputatum habentem super hoc potestatem iuxta consuetudinem in ordine nostro hactenus observatam, confirmatus^{a)}. Nichilominus frater Nycolaus⁹⁾ prepositus monasterii Chunicensis¹⁰⁾ nostri Premonstratensis ordinis nullam habens iurisdiccione[m] ab ordine seu a nobis super eleccione et confirmacione predictis, asserens quendam fratrem Bernhardum¹¹⁾ nomine fore electum in abbatem monasterii predicti et se^{b)} habere potestatem ipsum confirmandi, quam licet requisitus minime exhibere curavit, cum multitudine armatorum et abusu potencie secularis predictum fratrem Bernhardum intrudere attemptavit in abbatem monasterii predicti non sine gravi dampno et iactura monasterii eiusdem et predicti Hynconis preiudicium non modicum et gravamen, prout in appellacione per dictum Hynconem coram nobis super dictis gravaminibus contra predictos prepositum et Bernhardum interiecta, vidimus plenius contineri. Hinc est, quod nos predictarum partium unicuique volentes fieri iusticie complementum et quod suum est unicuique servari, de vestra nichilominus discrecione et fidelitate plurimum confidentes et piam et devotam exhortacionem excellentissimi et serenissimi principis domini nostri metuendissimi domini Karoli¹²⁾ dei gracia Romanorum regis semper augusti et Boemie regis vobis in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus et tenore presencium committimus, quatenus partibus coram vobis evocatis auditisque rationibus hinc et inde proponendis et dicendis inquiratis de premissis cum omni diligencia veritatem et si inveneritis eleccionem dicti Hynconis rite et canonice prout premittitur fuisse celebratam et ipsum Hynconem iuste confirmatum, predictam eleccionem quam exnunc prout extunc et extunc prout exnunc ratam et gratam dum tamen ita sit habentes, ratificamus et roboramus et si necesse sit auctoritate nostra superiori tenore presencium confirmamus, canonicam et legitimam pronuncietis omnibus tam prelati[s] quam subditi[s] nostri ordinis obloquentibus vel obloqui volentibus sub pena excommunicacionis per nos auctoritate nostra contra obloquentes ferende perpetuum silencium inponentes. Quantum autem ad omnia et singula premissa ac eadem tangencia plenarie exequenda, vobis concedimus nostre plenitudinem potestatis, contradictores si qui fuerint et rebelles per censuram ecclesiasticam conpescendo, invocato ad

hoc si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Datum in domo nostra de Lunaviz sub sigillo nostro anno domini M^o CCC^{mo} XL nono secundum modum Gallicorum octavo decimo die mensis marcii [= 1350 martii 18.].

¹⁾ Cf. notam 3 num. 29.

²⁾ Mracota 1327-1355 abbas Milocensis.

³⁾ Pribislaus de Odlochovice, can. mon. Siloensis, prima vice sicut abbas Gradicensis occurrit 1350 iunii 25, in litteris archivi Strahoviensis (hodie in Archivo status centrali Pragae) adhuc ineditis, sign. RP Strahov num. 44. Ultima vice 1361 iul. 21. (MVB II, num. 1284, in transumpto de die 16. dec. 1361). Quamquam ab abbate Praemonstratensi et capitulo generali postea (1362 oct. 9.-11.) depositus et successor eius electus Terwardus (prima vice occurrit die 20. iun. 1363, MVB III, num. 161-162), abbatia fuit in lite usque ad annum 1366 (MVB III, num. 680 et 747). Series abbatum Gradicensium apud Backmud, Mon. F, p. 357 mutanda est hoc modo: Pribislaus de Odlochovice 1350-1362.

⁴⁾ Hynco praepositus Lunovicensis ante 1350, ignoto tempore electus in abbatem Siloensis monasterii, cui praeerat annis 1350-1354. Ipso demortuo aemulus eius Bernardus de Údim factus est abbas Siloensis (1354-1358).

⁵⁾ Louňovice.

⁶⁾ Želiv.

⁷⁾ Marsilius abbas Steinveldensis 1334-1356.

⁸⁾ Dies electionis ignoratur, ante 18. mart. 1350.

⁹⁾ Nicolaus praepositus Cunicensis 1331-1361.

¹⁰⁾ Kounice.

¹¹⁾ Bernardus de Údim electus ante 18. mart. 1350 in abbatem Siloensem, tempore litis 1350-1354 aemulus Hynconis (cf. notam 4 hic superius), quo demortuo factus est ipse Bernardus abbas Siloensis. Cf. etiam notam 3 num. 40.

¹²⁾ Karolus rex Bohemiae 1346-1378.

^{a)} confirmatum, in cop.

^{b)} esse loco et se, in cop.

37

1351 aug. 15. Chotěšov

Petrus praepositus Chotesoviensis a Joanne abbate Praemonstratensi totoque capitulo generali approbationem pitantiae pro conventu Teplensi petit.

Orig. perg. archivi monasterii Teplensis nunc vero in archivo regionali status Pilsnensi, sign. RP Teplá, num. 67. In dorso manu coaeva: Confirmacio domini Premonstratensis super villa Beranow. Litteris duo sigilla in pressulis pergameneis appendebant, quorum primum amissum est. Secundum oblongum mucronatum de cera coloris rubei, in medio stans sanctus Venceslaus manu dextra hastam manu sinistra scutum tenens. Ad eius dexteram genuflectens quidam pedum tenens, ad sinistram vero inscriptio S. WENCESL[AUS]. Circumscriptio sigilli: S. PREPOSITI C[HO]TESSOWIENSIS.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 34 in bibliotheca monasterii Teplensis.*

Reverendo in Christo patri et domino domino Johanni¹⁾ divina miseratione abbati Premonstratensi Petrus²⁾ eadem providencia prepositus Chotessowiczensis [!] oraciones in Christo devotas cum omni reverencia et honore. Vestre reverende paternitati totique sacro collegio capituli generalis presencium continencia duximus intimandum. Nam tute illic beneficia collocantur, ubi a largitore omnium eterni boni retribucio expectatur. Advertentes igitur et considerantes pium affectum ac devocionem sollicitudinemque fratrum nostrorum conventus Theplensis [!]³⁾ ecclesie, ut eo melius ac liberius in divinis officiis Deo possint famulari, quinque marcas grossorum denariorum Pragensis monete ipsis comparavimus et emimus in villa Beranow⁴⁾ monasterii antedicti pitantie eorum et refeccioni cottidiane perpetuo adiungentes in nostrorum remissionem peccatorum et eterne fruicionem vite post discessum. Ut autem hec ordinacio suprascripta per posterios nostros maneat inviolabiliter observata, petimus humiliter et devote cum omnium precum instantia, quatenus ipsam de vestra speciali gracia dignemini approbare et ratificare appensione sigilli capituli generalis quam et nos nostri sigilli munimine fecimus communire. Datum in monasterio Chotessowiczensi [!] anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo in assumptione beate Marie virginis gloriose.

¹⁾ Cf. notam 3 num. 29.

²⁾ Cf. notam 2 num. 29.

³⁾ Teplá.

⁴⁾ Beranov villa in distr. polit. Karlovy Vary in Bohemia occidentali.

1351 oct. 12. Prémontré.

Joannes abbas Praemonstratensis donationem pitantiae monasterio Teplensi confirmat.

Orig. perg. (infixum litteris de dato 15. aug. 1351, vide num. 37 hic proxime praecedentem) archivi monasterii Teplensis nunc vero in archivo regionali status Pilsnensi, sign. RP Teplá, num. 68. Litteris in pressula pergamenea (litteris praecedentibus infixa) sigillum Joannis abbatis Praemonstratensis appendet de cera viridi coloris. Servata est tantum media pars ubi abbas sedens in solio, in arcatura styli gothici collocato, manu dextera pedum, manu autem sinistra librum tenet.

Copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 34' in bibliotheca monasterii Teplensis.

Universis presentes litteras inspecturis Johannes¹⁾ permissione divina

Premonstratensis abbas salutem in domino sempiternam. Noveritis quod nos comparacionem, donacionem et omnia alia et singula contenta in litteris, quibus presentes infiguntur, laudamus, approbamus, ratificamus ac in dei nomine confirmamus. Datum Premonstrati anno domino M° trecentesimo quinquagesimo primo duodecima die mensis octobris.

¹⁾ Cf. *notam 3 num. 29.*

39

[1353 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Joannem abbatem Bellevallis in Argona visitatorem annuum circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1353 dec. 30. datas (Orig. perg., archivum abbatiae Gerusensae in Austria, sign. AG U/64, vetus sign. 82): «Johannes¹⁾ dei paciencia abbas Bellevallis in Argona vices gerens in hac parte reverendi in Christo patris ac domini, domini dei gracia Premonstratensis abbatis²⁾ et abbatum eiusdem ordinis capituli... Datum in Vienna³⁾ anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo tercio tricesima die mensis decembris». Cf. etiam Acta Plagensium per annales decursus distincta, ms. chart. annorum 1645-1649 auctore Francisco Freisleben (archivum abbatiae Plagensis in Austria Superiore, ms. 16, fol. 35^v): «Annus Domini 1353... Hoc anno provincias istas Joannes abbas Bonae [!] Vallis ex Francia missus a generali capitulo visitavit, qui Milovicio [!]⁴⁾ Plagam proficisci adnitens a guerris quibusdam et tumultibus ex vicino ecclesiae nostrae imminentibus prohibitus est. Misit tamen Nicolaus⁵⁾ praepositus ex suo conventu Plagensi circatorem ad dictum visitatorem, qui ei statum coenobii nostri referret. Fuit is vir optimus, multum tunc sacri ordinis disciplina vigeat, domus Plagensis in aedificiis integra et fere nova. Debita ad 90 fl. solum extendebantur. Ista colligere et legere licuit ex antiquissimis et poene iam ex obsoletis litteris, quas iam dictus visitator Plagensibus transmisit».

L. Pröll, Geschichte des Prämonstratenser-Stiftes Schlägl, pag. 56 mentionem huius visitatoris facit nomen eius «Johann von Benef» indicando. Cf. etiam Backmund, Mon. III, p. 60 sine anno et Alfons Žák, Das Stiftsarchiv in Geras, p. 13, num. 82. Mentio visitatoris fit etiam in litteris Urbani papae V. ad archiepiscopum Pragensem 1363 [!] iul. 8. datis (MVB III, num. 187), sed dici non potest, num Joannes abbas Bellevallis etiam annis annum 1353 [!] praecedentibus visitator fuerit, quamquam hoc possibile est.

¹⁾ Joannes de Villemont, tantum hoc anno 1353 occurrit; abbatia Belval in dép. des Ardennes, dioc. Reims in Gallia.

²⁾ Joannes de Roigny 1352-1367.

³⁾ Vienna his in litteris est Vindobona in Austria.

⁴⁾ Milevsko (Forma Milovicium, Milovitium demum in cursu XVII. saeculi in usum venit).

⁵⁾ Nicolaus 1343-1356.

[1355 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Benedam abbatem Teplensem visitatorem circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae instituunt.

Litterae deperditae, cf. Annales monasterii Teplensis, ms. chart. anni 1621 in bibliotheca monasterii Teplensis, tom. I, fol. 35^v: «[Anno 1356]... generale capitulum munus illud [= visitoris annui] domino Benedae¹⁾ abbati [Teplensi] detulit, qui hoc anno [= 1356 ante aug. 11. quando abbas Beneda obiit] monasterium Gerucense²⁾ in Austria Inferiori situm cum abbate³⁾ Siloensis monasterii visitavit illiusque monasterii Gerucensis abbatem⁴⁾ dignitate privavit et fratrem quandam propter delicta ad perpetuos carceres iussu reverendissimi generalis⁵⁾ condemnavit, ut videre est ex ipso instrumento, quod ab illis illic relictum et adhuc in illo monasterio inter alia monasterii privilegia servatur, ut ipse⁶⁾ anno 1615 vidi, legi».

¹⁾ Beneda abbas Teplensis 1340-1356, hoc anno obiit 11. aug. (successorem eius Eringum novimus iam die 8. sept. 1356), ergo institutio huius visitoris in annum 1355 ponenda est.

²⁾ Geras in Austria Inferiore.

³⁾ Bernardus de Ůdim abbas Siloensis, cf. etiam notam 11 num. 36. Electus ante 18. mart. 1350, annis 1350-1354 aemulus abbatis Siloensis Hynconis, quo anno 1354 demortuo a sancta sede ad abbatiam Siloensem confirmatus 6. febr. 1355 (MVB II, num. 325). Obiit 1358 3. vel 4. ian. (Obitorium canoniae Gerusensae, p. 2 et Necrologium Strahoviense, ineditum). Bernardus abbas Siloensis in visitatione monasterii Gerusensis tantum ut pater abbas fungi videtur (ergo non ut convisitor?).

⁴⁾ Secundum Backmund, Mon. F, p. 354 Guillelmus I. 1348-1389. Unus abbas vel duo eiusdem nominis? Probandum est, num tota series abbatum Gerusensium saeculorum 13.-14. fulta sit fontibus fide dignis.

⁵⁾ Cf. notam 2 num. 39.

⁶⁾ Id est Venceslaus Schilling, auctor Annalium monasterii Teplensis.

[1358 iun. 5. — oct. 9. Louka?]

Otto abbas Lucensis a Joanne abbate Praemonstratensi et capitulo generali exoptat sibi, ut confirment traditionem villae Lukov¹⁾ cum pertinentiis titulo permutationis pro villa Bantice²⁾ eiusdemque villae pertinentiis Johanni Henrico marchioni Moraviae.

Litterae deperditae, cf. litteras 1358 iun. 5 datas (RBM VI. num. 837, p. 516): «dominus abbas³⁾... firmabit omnia, sese tunc iuxta estimacionem et declaracionem eandem contingencia, pro se et suo conventu d. marchioni⁴⁾ et heredibus ac successoribus suis predictis per litteras suas et sui conventus et eciam abbatis⁵⁾ et capituli Premonstratensis et has litteras abbas eciam suis procurabit expensis...».

¹⁾ Lukov, villa in distr. polit. Znojmo, in Moravia australi.

²⁾ Bantice, villa in distr. polit. Znojmo, in Moravia australi.

³⁾ Otto 1357-1374 abbas monasterii Lucensis in Moravia australi.

⁴⁾ Joannes Henricus, marchio Moraviae, annis 1349-1375.

⁵⁾ Cf. notam 2 num. 39.

42

[ante 1360 aug. 4. Prémontré?]

Joannes abbas Praemonstratensis Hynconem Zabrdovicensis et Ottonem Lucensis monasteriorum abbates iudices seu executores in lite cum Joanne deposito praeposito Plagensi deputat.

Litterae deperditae, cf. litteras 1360 aug. 4. (RBM VII, num. 599, p. 370): «...nos Nicolaus¹⁾...abbas monasterii Mylocensis, ordinis Premonstratensis, pater abbas ecclesie sancte Marie in Plaga²⁾ eiusdem ordinis, Pataviensis³⁾ dyocesis, ad noticiam presentibus universorum volumus pervenire, nos vidisse et legisse litteras...d. Johannis⁴⁾ abbatis Premonstratensis patentes sub eius sigillo viridis cere pendenti in pressula pergameni et specialiter litteras reverendorum virorum dominorum fratrum Hynconis⁵⁾ Zabradouicensis et Ottonis⁶⁾ Lucensis monasteriorum abbatum, iudicum seu executorum a dicto domino Premonstratensi ad infrascripta deputatorum, continentes processum et sentencias privacionis, remocionis seu deposicionis de fratre Johanne⁷⁾ olim preposito predictae ecclesie Plagensis rite factos et latos...».

¹⁾ Nicolaus 1355-1365.

²⁾ Plaga, germ. Schlägl.

³⁾ germ. Passau, in Re publica foederali Germanica.

⁴⁾ Cf. notam 2 num. 39.

⁵⁾ Cf. notam 5 num. 34.

⁶⁾ Cf. notam 3 num. 41.

⁷⁾ Joannes I. 1356-1360.

43

[ante 1361 oct. 9. Milevsko]

Nicolaus¹⁾ abbas Milocensis supplicat Joanni²⁾ abbati Praemonstratensi, ut sibi assensum permutationi quorundam bonorum praebeat.

Litterae deperditae, mentio in litteris Joannis abbatis Praemonstratensis 1361 oct. 10. datis (RBM VII. num. 1018, p. 612-613, vide etiam litteras num. 44 hic proxime sequentes).

¹⁾ Cf. notam 1 num. 42.

²⁾ Cf. notam 2 num. 39.

1361 oct. 10. Prémontré.

Joannes abbas Praemonstratensis Ottoni abbati Lucensi et Hynconi abbati Zabrdovicensi iniungit, ut de permutatione quorundam bonorum inter dominos de Rosenberg et monasterium Milocense facienda inquirent.

Insertum in litteris Ottonis abbatis Lucensis et Hynconis abbatis Zabrdovicensis 1362 mart. 1. datis, quae nobis tantum ex codice manuscripto Rosenbergico dicto (inter annos 1370-1380 confecto et hodie in bibliotheca status Pragae inter manuscripta sine tamen signatura servato) in fol. 87 et seq. notae sunt. Ex litteris originalibus dependebat sigillum viridi coloris in pressula pergamenaea appensum. Cf. etiam RBM VII. num. 1018, ubi litterae in forma non multum abbreviata editae sunt.

Johannes¹⁾ dei paciencia abbas Premonstratensis dilectis sibi in Christo fratribus Lucensis²⁾ et Zabradouicensis³⁾ ecclesiarum abbatibus salutem et sinceram in domino caritatem. Supplicavit⁴⁾ nobis humiliter dilectus in Christo frater noster Nicolaus⁵⁾ abbas Milocensis, quatenus permutationi quorundam bonorum in alia sue ecclesie utiliora per ipsum faciende piscine videlicet medie in Kowarziew⁶⁾ cuius usus minus utilis est et iuris patronatus, quod dicit se habere dictus abbas in Prczicz⁷⁾ et Blanicz⁸⁾ ex donacione antiqua dominorum de Rosemberch⁹⁾, in cuius tamen possessione non existit, auctoritatem et assensum preberemus. Nolentes igitur dicte ecclesie utilitatem impedire vel negligere, dileccioni vestre sub virtute sancte obediencie districte precipiendo mandamus, quatenus ad dictam ecclesiam accedentes vel alias de dictis permutationibus subtiliter exquiratis, et si ipsas in dicte ecclesie utilitatem cedere videritis, super quo consciencias vestras oneramus omni fraude et dole exclusis deum habentes pre oculis huiusmodi permutacionibus faciendis auctoritatem et robur vice nostra prebeatis. Datum Premonstrati anno domini M° CCC° LXI° die decima octobris nostro sub signeto.

¹⁾ Cf. notam 2 num. 39.

²⁾ Cf. notam 3 num. 41.

³⁾ Cf. notam 5 num. 34.

⁴⁾ Cf. litteras num. 43.

⁵⁾ Cf. notam 1 num. 42.

⁶⁾ Kovářov villa non multum distans a monasterio Milocensi, hodie in distr. polit. Písek in Bohemia.

⁷⁾ Přelčice, hodie oppidum unitum Sedlec-Přelčice, in districtu politico Benešov in Bohemia.

⁸⁾ Blаницe, hodie oppidum unitum Bavorov-Blаницe, in districtu polit. Strakonice in Bohemia.

⁹⁾ Quorum dominium per magnam partem Bohemiae australis tunc se extendebat.

[1362 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Martinum abbatem Strahoviensem et procuratorem generalem ordinis Praemonstratensis visitatorem annuum circariarum Bohemiae, Moraviae et Austriae atque Poloniae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1363 iun. 16. datas (RBM VII, num. 1433, p. 867): «Martinus¹⁾...abbas monasterii Montis Sion...procurator generalis ordinis Premonstratensis necnon visitator annuus in plenitudine potestatis per venerabilem dominum Johannem²⁾ abbatem Premonstratensem et generale capitulum in circaria Boemie, Polonie, Austrie et Moravie specialiter deputatus...».

¹⁾ Martinus 1358-1363.

²⁾ Joannes de Roigny 1352-1367.

[1362 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Pribislaum de Odlochovice abbatem Gradicensem deponunt atque regimine privant.

Litterae deperditae, cf. litteras 1366 sept. 15. datas (MVB III, num. 747, p. 460-463): «...Przibislaus¹⁾ de Adlochowicz canonicus olim abbas dicti monasterii [= Gradicensis] a dilectis filiis abbate²⁾ Premonstratensi et capitulo generali dicti ordinis...abbaciali dignitate atque regimine canonie privatus est et ab ea depositus fuerat...». Quia successor Pribislai, abbas Terwardus iam 1363 iun. 20. prima vice occurrit (MVB III, num. 161-162, p. 109 et RBM VII, num. 1438, p. 870-871), coniici potest Pribislaum a capitulo generali anni proxime praecedentis nempe 1362 depositum fuisse.

¹⁾ Pribislaus de Odlochovice, cf. notam 3 num. 36.

²⁾ Cf. notam 2 num. 39.

[1364 (?) oct. 9.-11. Prémontré.]

[Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et] capitulum generale Terwardum abbatem Gradicensem visitatorem annuum circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1368 dec. 14. datas (MVB III, num. 1071, p. 684-686): «...Jaroslaus²⁾ [=praepositus de Nová Říše]...in abbatem dicti

monasterii [= *Zabrdovicensis*³⁾] tunc [= 1364?⁴⁾] vacantis electus fuerat...ac ipsum monasterium per annum et ultra gubernaverat...postmodum dilectus filius Teruardus⁵⁾ abbas monasterii Gradicensis...asserens se visitatorem a generali capitulo Premonstratensi deputatum⁶⁾ eundemque Jaroslaum dictum monasterium Sabirdowicense tenere non posse ipsum Jaroslaum ab eodem monasterio Sabirdowicensi amoverat⁷⁾...».

¹⁾ Cf. notam 2 num. 39.

²⁾ Jaroslaus Magnus de Schellenberg, plebanus in Křtiny in Moravia, postea praepositus de Nová Říše anno ignoto post 1358 factus (MVB III. n.1071), anno 1364 maii 26. iam abbas Zabrdovicensis (CDM IX. n.371).

³⁾ *Zábrdovice*.

⁴⁾ Ultima mentio Hynconis abbatis Zabrdovicensis 1363 iul. 8. (MVB III. n.187) fit. Cui successit Petrus quidam, quem ad capitulum generale (ergo aliquot septimanas ante 9. oct. 1363) euntem Otto abbas Lucensis monasterio Zabrdovicensi spoliavit, monasterium ipsum aliquandiu occupatum detinuit et deinde Jaroslaum dictum Magnum de Schellenberg intrusit (Gregorius papa XI. archiepiscopo Pragensi in litteris 1372 ian. 9. datis, MVB IV, num. 386), qui Jaroslaus sicut abbas Zabrdovicensis 1364 maii 26. prima vice occurrit, cf. notam²⁾ hic superius! (Documentum in CDM IX, n.160 et RBM VII, num. 466 publicatum sub dato 25. mart. 1360 (!) falsum est). Series abbatum Zabrdovicensium anni 1363 et sequentis est ergo ut sequitur: Hynco (ultima mentio 1363 iul. 8.), Petrus (ante celebrationem capituli generalis id est ante 1363 oct. 9., potius iam ante initium mensis septembris, quando ingressus fuerit iter ad capitulum generale), Jaroslaus (ante 1364 maii 26).

⁵⁾ Teruardus abbas Gradicensis occurrit prima vice 1363 iun. 20, sicut successor abbatis Pribislai a capitulo generali anni praecedentis depositi (cf. litteras num. 46), ultima mentio anno 1381 fit.

⁶⁾ Si Jaroslaus iam anno 1364 abbas Zabrdovicensis erat «ac ipsum monasterium per annum et ultra [= totum annum 1364 et forsitan aliquot menses anni 1365] gubernaverat», sicut in litteris anni 1368 hic superius tactic legitur, depositio eiusdem ab abbate Tervardo Gradicensi et visitatore annuo in annum 1365 ponenda esset et institutio huius visitatoris a capitulo generali anno 1364 celebrato plus quam verisimilis videtur.

⁷⁾ Jaroslaus a visitatore annuo depositus nihilominus semper abbas Zabrdovicensis mansit usque ad annum 1400, quo prima vice successor eius Bernardus commemoratur (MVB V, num. 1679).

[Ante 1368 ian. 11. Prémontré?]

Joannes abbas Praemonstratensis Hermannum abbatem Teplensem iudicem et commissarium in lite inter Gregorium praepositum Speinshartensem et eius conventum deputat.

Litterae deperditae, cf. litteras 1368 ian. 11. datas (orig. pergam. arch. monasterii Teplensis, num. 85, hodie in Archivo regionali status Pilsnensi; copia chart. anni 1621 in libro manuscripto Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 39'-40' in bibliotheca mon. Teplensis): «...Nos Hermannus¹⁾ divina miseracione abbas monasterii Theplensis [!] Premonstratensis ordinis Pragensis diocesis iudex et commissarius inter partes infrascriptas a domino Premonstratensi²⁾ in plenitu-

dine potestatis deputatus...cum inter reverendum fratrem dominum Gregorium³⁾ prepositum ecclesie Spainshartensis...parte ex una et conventum dicte ecclesie parte ex altera quarundam licium, dissensionum et controversiarum materia fuisset suborta et ipse conventus dicti monasterii litteras commissorias a predicto domino nostro abbate Praemonstratensi pro parte sua obtentas...nobis per fratrem Seyffridum⁴⁾ suppiorem suum presentasset...».

¹⁾ Hermannus abbas Teplensis 1365-1380.

²⁾ Verisimiliter Joannes de Roigny 1352-1367 potius quam successor eius Petrus de Froidsaints 1368-1378, cf. notam 2 num. 52.

³⁾ Gregorius 1363-1368.

⁴⁾ De quo secus nihil scitur.

49

[1372 oct. 9.-11. Prémontré.]

Petrus abbas Praemonstratensis et capitulum generale Conradum abbatem Strahoviensem visitatorem annum circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1373 iun. 28. datas (Copia anni 1621 in ms. Annales monasterii Teplensis, tom. I, fol. 41'-42' in bibliotheca monasterii Teplensis): «...Conradus¹⁾...abbas monasterii Montis Syon alias Strahoviensis...cum in actu sacrae et annuae visitationis per dominum Praemonstratensem²⁾ et capitulum generale nobis iniunctae ecclesiam Teplensem³⁾...visitaremus...».

¹⁾ Conradus 1367-1390.

²⁾ Petrus de Froidsaints 1368-1378. Backmund, Mon. II, p. 528 habet 1368-1381. Cf. etiam notam 2 num. 52.

³⁾ Teplá.

50

[1373 oct. 9.-11. Prémontré.]

Petrus abbas Praemonstratensis et capitulum generale Henricum abbatem Siloensem et Bernardum praepositum Lunovicensem visitatores annuos circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1374 aug. 14. datas (CDM X, num. 228): «...coram subscriptis dominis Henrico¹⁾ abbate Siltoensis [!] et Bernhardo²⁾ preposito Lunouicensis monasterii ordinis Praemonstratensis Pragensis diocesis visitoribus annuis a capitulo generali et domino Praemonstratensi³⁾ specialiter deputatis...».

¹⁾ Henricus abbas Siloensis 1372-1400.

²⁾ Bernardus praepositus Lunovicensis 1360-1375.

³⁾ Cf. notam 2 num. 49.

1374 oct. 10. Prémontré.

Petrus abbas Praemonstratensis et capitulum generale donationem Ottonis¹⁾ abbatis Lucensis nempe bonorum et census in villa Chlupice²⁾ pro pitantia et custodia monasterii Lucensis et aliam donationem eiusdem abbatis Ottonis et fratris Drslai³⁾ plebani ecclesiae in Prosiměřice⁴⁾ nempe bonorum in České Křídlovice⁵⁾ confirmant.

Infixum litteris seu instrumento notariali 1374 aug. 14. datis (CDM X, num. 228, p. 242-243). Orig. perg. in archivo regionali status Brunnensi, sign. RP Louka, H num. 45. Infixo appendet sigilli cap. gen. fragmentum ex cera coloris viridi, in cuius medio conspicitur tantum truncus s. Augustini in solio sedentis sine pedo et manu dextra benedicens, a cuius parte sinistra stant tres abbates cum pedis, a parte dextra similiter tres, quorum peda desunt. Cf. Pl. Lefèvre, L'emploi et la garde du sceau communautaire dans l'Ordre de Prémontré, AP XXXVIII-1962, p. 91, n. 14.

Et nos Petrus⁶⁾ permissione divina abbas Premonstratensis et abbatum eiusdem ordinis capitulum generale omnia contenta in literis, quibus presentes litere nostre sunt infixae laudamus, ratificamus, approbamus et tenore presencium confirmamus ac sigilli nostri generalis capituli appensione corroborari fecimus et muniri. Datum Premonstrati anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto decima die mensis octobris sedente nostro capitulo generali.

¹⁾ Otto 1357-1374.

²⁾ Chlupice, pars villae Hostěradice, districtus polit. Znojmo in Moravia.

³⁾ Drslaus, plebanus in Prosiměřice, occurrit tantum 8. febr. 1373 et 14. aug. 1374.

⁴⁾ Prosiměřice, distr. polit. Znojmo in Moravia.

⁵⁾ České Křídlovice, distr. polit. Znojmo in Moravia.

⁶⁾ Cf. notam 2 num. 49 et notam 2 num. 52.

[1378 oct. 9.-11. Prémontré.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Joannem de Avisiaco canonicum ecclesiae Praemonstratensis et procuratorem eiusdem ordinis, visitatorem annum circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1379 ian. 16 datas (CDM XI, num. 139, p. 127-128) «...fr. Johannes de Avisiaco¹⁾ canonicus humilis ecclesie Premonstratensis, procurator ipsius ordinis vicesque gerens reverendissimi in Christo patris ac

domini, domini Johannis²⁾ dei et apostolice sedis gracia abbatis ecclesie Premonstratensis...coram nobis venerabilique patre...domino abbate³⁾ Montis Sion alias Strahoviensis ac priore⁴⁾ et conventu ecclesie Lucensis nostri ordinis, Olomucensis diocesis...auctoritate domini Premonstratensis et capituli generalis, qua fungimur, in hac parte petitionem illorum duximus adiudicandum fore...sigillum nostrum una cum sigillo predicti domini abbatis Strahoviensis et signeto propria manu subscripto presentibus litteris duximus apponendum. Datum in Luca⁵⁾ anno domini 1378 iuxta modum gallicanum XVI die mensis ianuarii [= 1379 ian. 16.]».

¹⁾ Joannes de Avisiaco (*Aveins in Gallia*) tantum hiis annis occurrit.

²⁾ Joannes de Marle 1378-1391 sine dubio iam ante celebrationem capituli generalis anni 1378, ergo ante otc. 9.-11. abbas Praemonstratensis factus est. Backmund, *Mon. II*, p. 528 habet Petrum de Froidsaints 1368-1381, qui revera ante 1378 oct. 9. mortuus aut resignari coactus?

³⁾ Conradus 1367-1390.

⁴⁾ Forsan idem ac anno 1377 iul. 17. nempe Schocho (*CDM XI*, p. 85).

⁵⁾ Louka.

53

[1412 — 1414 oct. 9.-11.]

Petrus abbas Praemonstratensis et capitulum generale Joannem abbatem Lucensem visitatorem circariae Bohemiae, Moraviae et Austriae ad triennium instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1415 mai 1. (Orig. perg., in archivo regionali status Brunnensi in Bohemoslovacia, sign. Louka, prem. L 170): «Nos Johannes¹⁾ divina miseratione abbas monasterii Lucensis²⁾ ordinis Premonstratensis Olomucensis diocesis triennis³⁾ visitator a reverendissimo in Christo patre et domino nostro domino Petro⁴⁾ summo Premonstratensi et eius capitulo generali per circariam Boemie, Moravie et Austrie deputatus...».

¹⁾ Joannes IV. Puczdota abbas Lucensis 1403-1424.

²⁾ Louka.

³⁾ Nescitur quo anno (1412-1414) ut visitator ad triennium (1412-1415? 1413-1416? 1414-1417?) institutus sit.

⁴⁾ Petrus d'Hermi abbas Praemonstratensis 1411-1423.

54

1440 oct. 11. Binche.

Joannes¹⁾ abbas Praemonstratensis et capitulum generale Joannem Toppeti²⁾, decretorum doctorem, nuper priorem Praemonstrati, nunc abbatem Gaudii Vallis Carnotensis diocesis, praelatis ecclesiasticis et princi-

pibus saecularibus in Germania, Hungaria, Polonia, Bohemia ac partibus circumiacentibus commendant transmittentes ipsum in illis regnis et partibus monasteria utriusque sexus ordinis Praemonstratensis visitandi et reformandi gratia.

Cf. J.J. Evers, Formularium Praemonstratense II, pag. 249-250, num. 301. J.B. Valvekens, Acta I, num. 85, p. 113-115, ubi editio harum litterarum.

¹⁾ *Joannes de la Fère 1436-1443.*

²⁾ *Joannes Touppet 1432-1440 abbas de Joyenval (Gaudii Vallis) prope St. Germain-en-Laye, dép. Seine-et-Oise in Gallia.*

55

[1453 oct. 9.-11.]

Joannes abbas Praemonstratensis et capitulum generale Pribislaum abbatem Lucensem [et alium nobis ignotum] visitatores annuos circariae Boemiae et Moraviae instituunt.

Litterae deperditae, cf. litteras 1454 iun. 24. datas, in bibliotheca municipali Treverensi in Re publica foederali Germanica (I. Joester, Urkundenbuch der Abtei Steinfeld, num. 506): «Nos Przibislaus¹⁾ abbas monasterii Lucensis ordinis Premonstratensis Olomucensis diocesis a reverendissimo in Christo patre preceptore nostro gracioso domino Johanne²⁾ abbate summo Premonstratensi et suo capitulo generali visitator annuus specialiter deputatus prout in litteris desuper confectis, quarum copiam exhibebimus illi vel illis, quorum interest legitime requisiti plenius continetur cum clausula illa «quatenus vos duo simul aut alter vestrum assumpto secum aliquo nostri ordinis zelatore prelato» etc. et ego Johannes³⁾ abbas monasterii Siloensis eiusdem ordinis pro zelatore ordinis assumptus...».

¹⁾ *Pribislaus 1433-1466 abbas Lucensis, ut hodie novimus, erat unicus abbas huius nominis eiusdem monasterii, Backmund, Mon. I², p. 363.*

²⁾ *Joannes Agnet 1449-1458.*

³⁾ *Joannes 1447-1466 erat unicus abbas Siloensis huius nominis hiis anniis. Backmund, Mon. I², p. 393.*

56

[post 1458 nov. 9.¹⁾]

Simon abbas Praemonstratensis Georgium praepositum Speinshartensem visitatorem annum circariae Bohemiae et Moraviae instituit.

Litterae deperditae, cf. litteras 1459 mart. 17. datas (Orig. perg., archivum abbatae Teplensis, num. 137 hodie in archivo regionali status Pilsnensi): «...Geo-

rio²⁾ divina providencia preposito monasterii Speynshartensis ordinis Premonstratensis Ratisponensis diocesis a reverendissimo in Christo patre ac domino domino Symone³⁾ summo Premonstratensi abbate annuo visitatore [...]» *et alias litteras eodem die datas (num. 136 eiusdem archivi): «...Georio divina providencia preposito Speynshartensis monasterii Ratisponensis diocesis necnon a reverendissimo in Cristo patre ac domino domino Symone summo Premonstratensi abbate annuo visitatore...», item alias litteras eodem die datas (in vidimatione 1459 sept. 11. confecta asservatas, num. 139 eiusdem archivi): «Nos Georius permissione divina prepositus monasterii Speynshartensis Ratisponensis diocesis ordinis canonicorum Premonstratensium a reverendissimo in Christo patre ac domino, domino Simone summo Premonstratensi abbate per inclitam coronam regni Boemiae et marchionatus Moraviae annuus visitator...», item litteras 1459 sept. 5. datas (num. 138 eiusdem archivi): «...nos Georgius divina permissione monasterii Spainshartensis Ratisponensis diocesis humilis prepositus per reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Symonem Premonstratensem summum abbatem in circarii Bohemie ac Moraviae visitator...». Ex his omnibus litteris patet, quia nulla mentio capituli generalis fit, Georgium visitatorem tantum ab abbate Simone iam dicto, ergo extra tempus capituli generalis et post obitum Joannis abbatis Praemonstratensis, qui die 9. mensis novembris anno 1458 e vivis cessit, (Bibliotheca Praemonstratensis ordinis, auctore fratre Joanne Le Paige, pag. 948) institutum fuisse.*

¹⁾ Id est post obitum Joannis abbatis Praemonstratensis †9. nov. 1458 et extra tempus celebrationis capituli generalis.

²⁾ Georgius dictus Ochs (= Taurus) 1457-1503 praepositus, postea abbas Speynshartensis.

³⁾ Simon de la Terrière 1458-1470.